



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Caput 29. De puritate necessaria pro sacra Synaxi, & de Sacramento
Pœnitentiæ, quo obtinetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580

nes, sicut dum multi in aliquo Templo conveniunt, ubi celebratur solenne Festum, vel supplicatio. Sed non attendi, quales homines essent, quia tota eram abrepta in contemplando mysterio, quod meis oculis objiciebatur, non satis sciens, quid esset. Tunc mihi dixit Dominus: Hoc tibi volui ostendere, ut scires, hodie in cœlo à sanctis Beatis, qui vixerunt in terra, & fructi sunt admirandis fructibus hujus Divini Sacramenti, etiam celebrari Festum Institutionis ipsius, cum maximo gaudio, ac lætitia, & gratiarum actione pro tam specialibus donis, eximioque favore sibi præstito, & collato in terra: quia verò meus servus Ignatius adeò excelluit in devotione, quàm semper fuit addictus Nomini JESU, quod nomen gerit Dominus hujus Festi, & ipse ob hanc suam devotionem assumpsit, ut sibi esset auxilio in omnibus, quæ egit, appellavitque ab eo suam Religionem,

ideo illi exhibetur hic specialis honor, ut inter cœlites peragat istud mysterium.

Hoc dicit Serva ista DEI, estque admodum conforme doctrinæ Theologorum, de gloria accidentali, & specialibus gaudijs, quibus fruuntur Beati in Cælo, propter quadam peculiaria ipsorum opera, vel ab ipsis instituta in terrâ, aut quibus hic viventes fuerunt delectati. Et quia Sanctus Pater noster Ignatius etiam specialissimo est prosequutus cultu sanctissimum Sacramentum, innotuitque frequentem sacra Communionis usum, qui profusus fuerat in mundo datus oblivioni, & ipsius Filij eundem promoverunt, tuisque sunt hoc mysterium strenuè contra hæreticos nostrorum temporum, in regionibus septentrionalibus; ob has omnes causas, cum ipsis, quas Dominus dixit, habet specialem gloriam accidentalem in cælo, quam manifestavit taliter gestando Hostiam cum ea veste vestita, nominibus JESU, quemadmodum vidimus.

CAPUT XXIX.

De puritate necessaria pro sacra Synaxi, & de Sacramento Pœnitentiæ, quo obtinetur.

Summà opus est animæ & corporis puritate, ut accedatur ad suscipiendum DEUM, in admirabili Sacramento Eucharistia. Ad obtinendam verò hanc puritatem ordinatur Sacramentum Pœnitentiæ, quod præcedit Communionem, quando adsunt macula eluenda, atque de hoc habuit sequentem visionem quodam festo Epiphaniæ, in quo Ecclesia etiam celebrat Baptismum Christi Domini. Cùm essem, inquit, hoc die afflictà à doloribus, & paterer ingentem sitim, derepente sum passa ecstasim, duxeruntque me Domini mei Angeli ad crepidinem cujusdam fontis, qui erat hujusmodi: Descendebat rivus angustus, sed valde profundus ex colle, & incidebat in concham fontis: ex concha prodibant duo magni canales aquæ defluentis in stagnum circumdatum lapidibus, instar lavacri, quod totum erat constructum ex elegan-

tissimis, optimèque formatis lapidibus. Vidi in eo lavacro multos Angelos DEI, qui eluebant pannos, & aliquantò inferius in alia lotrina conspexi quasdam Virgines, quæ videbantur aliquid lavare, tamen nihil lavarent, sed quasi contorquebant pannos lotos. Evanuerunt è meis oculis mei Domini Angeli, & circumspexi quaquaversum, nec eos vidi. Fui afflictà, quòd me viderem solam, & præ magna siti, quæ patiebar, tentavi transire rivum, ut biberem aquam defluentem ex canalibus. Sed detinuit me unus ex sanctis Angelis, occupatis lotionem, ac dixit: Quid facis? cave, nè submergaris. Hoc audito, substiti, & retrocessi, atque ascendi per unum latus collis secundum oram rivi, quæsitura transitum; quo tandem invento, transivi, semperque aspiciens, an viderem meos Dominos, non vidi illos, & attollens oculos ad cælum, vidi illum rivum oriri ex quodam throno & sede, ubi erat Agnus Divinus in Cælo,

Cælo, ac defluere in eam concham. Eram vehementer attonita, dum contemplerer istud mysterium, spectaremque Angelos lavantes, neque scirem, quidnam id significaret. Quidam illorum mihi dixit: Quare hæres, contemplando hoc mysterium? Nõne scis, Sacerdotes esse Angelos DEI, ita enim illos vocat Scriptura sacra? Et Ecclesia Catholica, significata per hunc fontem, atque istud lavacrum, est plena sanguine Agni, unaq; Divinis ejus meritis & gratijs, qui ad ipsam defluit ab illo Divino throno, & à Divino Agno: atque in isto sanguine Sacerdotes lavant animas per Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc significat id, quod vidisti, quia hodie fue-

runt multæ ablutæ, quæ sunt bene confesæ. Tum ego interrogavi: Domine, Virgines autem quid lavant? Respondit mihi: Non lavant, quod bene vides, sed quasi clarificant pannos jam lotos & mundos; quia eadem animæ jam purgatæ per Sacramentum, dum & ipsæ cooperantur gratiæ, addicendo se mortificationi ac bonis operibus, se puriores reddunt, & clariore. Quod fueris monita, nè transires illud stagnum aquæ, profundum & angustum, nè mergereris, ideò factum est, ut non tentares temere, quoad ista perscrutari secreta judicia DEI: quia te perderes hac temerariâ audaciâ. Hoc tibi Dominus voluit patefacere in ista visione.

A. M. D. G.



Kk 2

LIBER

CAPIT